
SOCIETY OF WRITERS TO THE SIGNET


Arcus



ARCVS
ALIQVOT TRIVMPHAL.
ET MONIMENTA
VICTOR. CLASSICAE,
IN HONOR.
Inuictissimi ac Illustriss.
IANI AVSTRIAE,
VICTORIS NON QVIETVRI.

AVCTOR.
IOAN. SAMBVCO.

QVIBVS ADIECTVM EST
eiusdem argumenti Carmen Heroicum
PER HVGONEM FAVOLIVM.



ANTVERPIÆ
Apud Philippum Gallæum.
M.D. LXXII.

SERENISS. PRINCIPI IANO AVSTRIO CAROLI .V. FILIO.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

IOAN. SAMBVCVS.



N tanta omnium lætitia, vniuersoque applausu, quid ego priuatim agam? doleam? inauditam victoriam inuideam? Sileam? absit, absit, procul; cuius desiderium, omnesq; preces, & vota in Christianorum Triumphis, & Spoliis de immani barbarie versantur. Quod, igitur, alij tot allegationum concursu ostendêre, tot arcuum, substructionumque molibus, atque magnificentia sunt passim contestati: id ego priuatus animo, & voluntate emensurus, hasce nugas intra parietes mihi effingens, cuncta repræsento, & quibusdam amicis dum satisfacio, persuadeor, alij quoque vt cogitationes inque salutem communem studium meum videant, legereque possint. Qua opella neminem offensurum me spero, Tuæque Serenitati minimi clientuli, ac ignoti factum non ingratum fore credo: dum res ipsa aliquando narratione nostra etiam ad posteros celebretur, communemque voraginem & pestem Christiani nominis prorsus conficiatis. Amen.

Cuius me clementiæ commendo.

Vienna, kl'. IXbr. 1571.

BREVIS PICTVRAE DECLARATIO.

1.

INdicium Confœderatorũ; nam in summo sunt instrumenta vetera Pontificum, hoc est, Ara votiua Pietatis,& zeli,cum patera,flamine,aspergillo,cultroque. Latera Hispanorum & Venetorum insignia,cum innocentum oliuifera Venetijs supplicatione facta. Spicæ vtrinq; in summo læti temporis. Imè est carcer Mahometicorum, & infamia.

2.

Neptunus Pegaseus, Iani Austr. celer ad Ithacæ viciniam aduentus. Corallium in fastigio, & Angelica herba; illud aëre duratum perficitur,sic isto Magistratu Ianus; & hæc,alexipharmacum est contra venena. Latera habent ex Numis vetustis regionum litoralium insignia liberatarum. Infimè Pater est Oceanus Fluuiorum, cum Nili & Danubij proprijs animalibus, id est, Sturione, & Crocodilo; qui sub Christianum Imperium redeunt.

3.

Quatuor Anni vices, & humorum; quibus singulis & cunctis Thurcæ futuri sint posthac infœlices. Margo dexter Pietatis focum,thura,sudumq; tempus; sinister metum hostis,inconstantiamque signorum, turbidumq; tempus, intestinas inter ipsos seditiones denotat; Caput, occasionem nostram cœlo cathena pendentem, & persequendam.

4.

Neptunus prouocatus indignè, rabiem suppressisse cum exprobatione ait. Delphinus ocium cum Asiatica pharetra significat. Manus cum clauibus in pectore, firmitatem societatis, & maris, per gubernaculum Iberi & Veneti. Nemo colligauit, hoc est, adhuc tam firmè Christianos nemo, ac Papa, conduxit. In extremo; Sufficient. &c. ad Thurcas Neptunus, se eorum furores & minas satis mari restincturum ait, non defore aquas igni ipsorum.

5.

Tiara, depositum Imperium Scythicum. Eclipsis Lunæ hoc anno Selymi capiti inhians: Aquila sinistro fulmine eius Imperium tactura est, ruituraq; per Christianorum opes.

6.

Nicator ab Atlanticis finibus Ianus, qui molem & orbem curarum sustineat, caputque præcisum Thurcæ; Dianæ, id est, Orientis insidias constringet. Margo Africæ animalia præfert, & quos sit aditurus Ianus, Asia pacata, restitutaque.

7.

Trophæum nauticum: anchoram, hoc est, bellum, Iano fune, quem Oram Latini vocant, stabiliente, ociumque sperandum vniuersum.

8.

Triquetra figura, Othomanorum vacuum est sepulchrum, ac pernicies, insignis ipsorum virtutibus, hoc est, tribus præcipuis vitijs: Manus digitis contractis, perfidia: Mustela supina, infortunium: Mulier, pœnitudo temeritatis

meritatis: & in quemcumque angulum recidat, nihil nisi vitiosum reperitur in Thurcis.

9.

Orbis cum temone, vt Actiaca victoria. Laurus & Hedera, perpetua victoriæ Iani memoria. Latera pisces subactumque mare habent. Infimè, procellosum mare pacatum, & Cybelem, id est, tellurem stabilitam, vt Hadrianus fecit. Coturnix, Mannæ, cœlestis gratiam nobis præsentant, cum necopina hominum admiratione. Ex Exodo.

10.

Cornicis oculus confixus, id est, Ducis Barbarorum Orientis. Ciconia pia anguem, id est, Ianus molestias deuorat. Templum Iani per eum nostro tempore contra Thurcas clausum, vt per Augustum & Neronem. Infimè versus Euripidis de impia caussa belli, & pia positus.

11.

Obeliscus alter, iustum vindictæ oculum, & stella prouidentiam diuinam significant, Cerbero Orientis domito. Medusa, terrorem obiectum Barbaris; fusum, vires nostras vnitas significat. Fama, vel Victoria alata nostra; Venimus, Vidimus, Vicimus; vt Iul. Cæs. de Britannis.

12.

Fastus Barbari diminutus, & altitudo vel apex decussus, qui regionem Lunæ non sit amplius contacturus. Iris, pacis signum & pactorum. Sol, hoc est, veritas Christiana, Ceruum subegit timidum. Taurelli & Canes cubantes Dianæ mœrent, & Tauropolia eius festa cessare significant.

13.

Columna tribus Planetarum interuallis, hoc est, Lunæ, Veneris, Mercurij, tribus sæculis, hoc est, ferè ter centum annis, acquisitum inconstantia, libidine, artibusq; Imperium, totidem horis pugna nauali depositum esse.

14.

Vt Vnicornu per se, & virtute rarissimum; ita Iani solius virtus præstitit: qui in prora nauis nixus duce Prouidentia, ipse Labore rebus aduigilet. Comites, & Remiges, sunt quatuor in Imperatore summo Virtutes, de quibus Cicero; Industria, Fortitudo, Consilium, Celeritas.

15.

Cruce, & Sica, id est, Pileus libertatis Religione & Armis constitit, ocioq; aliquo parto aluearia apum abundant; Galea verò Curulibus, Domesticisque sellis imposita. Serpens gyrosus, longam salutem publicam in Ara, id est, Pietate, & animo significat; ad quam conferunt se, suaque vouent, Græcia, Asia, & Africa.

16.

Arion est Ianus, qui monstris Thurcicis, Medusæ, & Basilisci terroribus obiectis, strenuè rem gessit.

FINIS.

NAVALI TRIVMPHO

Ex Thurcis relato, extincto pelagi metu, purgatis maleficio Thraciæ, Pelopon. Dalm. Ionij, Epirique Sinus oris. Rhio, Antirrhio, Hexamilij impedimento, Africæ litoribus, infero tractu ad Herculis vsque fauces, & Atlanticas Gades securis. Byzantij obicibus infractis, celeritate .V. Hor. vniuersa Orientis classe, velut turbine, sublata; Interni Maris vtroque litore parente. Abalio necato, Filiis cum Ægæarum Insularum Præfectis pænè omnibus seruituti illigatis, vix nuncio cladis Selymo superstite. Marti Celeri, Memoriæ Non. IIX briß. CCIↃↃ. mancip. liber. IↃↃↃ CCCI host. cæs. & capt. Vulgò noxiis remis. AN. CIↃ. Ↄ. LXXI. Christiano.

S.


I.
ZELVS
DOMVS.
TVAE
VICT. SACRÆ, ET
IANO AVSTRIÆ,
CLASS. ET ORAE
MARIT. PRAEF.
III. FOELICI.
S.
M. D. LXXI.
KL. IXBR.
INFAMIA SOLA SVPERSTES.

A.4.

2.

GRATIÆ MEMORI.

DEO MAGNO ITHACOIBERO, & Portuno Supero, Oceano Patri, Thetydi Matri, deuaga, venatu inflata, Nereidumque oblita DEA iam Minima, MONSTRIS LIQVIDIS, nunc tractabilibus, Dindymene stabilita, Æuitati infinitæ E. M.

M. & AR. C.


ALEXIΦ.
APXH.
NEPTVN. ITHACIBER.
SOLI
HVIC PARVE-
RE NAVARCHO.
VIVI-
DA
VIR-
TVS.

3.

THVRCA DESPER.

Nec vdum aër, nec ſiccum Æquor, nec Cælum mortuum, non Terra ſuperſtitem, non Sol rigentem, nec feruentem Nix, nec anhelum Flabra iuuant. Cumq́ Cynthia obſit, qui ſuperiora non ſenſi, quid miſer agam?

VDVS VDIS ESCA FIAM.


3.
A DA MAS
HANC PERSE
QVAR ESCAM
VT CAPIAM.

4

NEPTVN. VLTOR.

Satin' malorum? Prouocatus vrgebo, premam, nec cesso: dum vltus supplicis furores, nunc tempetatos, mox extinguam, Mygdonios Herculi coniungam.


4.
VICTRICES INCI TAT IRA MANVS
COL·NE MO.
SVFFICIENT HIS AESTVBVS VNDAE.

IOVI SOSPITI.

Religioni Vindici, Marti Celeri, Memoriæ semp. Quòd Rep. strenuè gesta, iugo exuto, Mari pacato, litoribus receptis, omnibus quies constituatur.
Votis . CIƆ . *Mult.*
vulgò remissis.


5.
IOVE ET ASTRIS.
OCC
ORT.
IN ORTVM INFIS-
TIS.
E-
REX-
IT.
ABI-
EC-
TOS.

FVLMINI BETHICO, IANO AVSTRIÆ.

Qui ab extremis vſque Gadibus, Bethicis ſopitis, vltimos territat Caſpios, inſidias cum veſtigiis abolet. Præſide Tritone cæleſti, adludentibus Delphinis, Leone ira potente, proxumique periculi Vindice. Nunc Antipodas veſtigaturus, per Elephantum ſedes ſigna circumferet

TRIS AVSPP. DIS.


6.
NICATORI ATLANTICO
IN PRÆDAM.
INCONST. CAPTA.
SVB IVGA QVOT GENTES
CAPTIVIS REGIBVS IBVNT.

7.

ORÆ QVIETIS P.

QVID NON SIGNA HESPERIA cum Marciis valeant? Quò non Æolo & Amphitrite Comitibus penetrent? Haud iam, Quinque & Iv Igeminos Danuuium, & Afros ab Æthiopibus qui diuortit, Nilum: Sed ipsum Oceanum sub iuga rapit HERCVLES IOVIVS, Janum, Marcianumque æuiternat Omine nomen.


7.



CENOTAPH. BARBB.

IN
QVEM-
CVMQVE
RECIDAT: NI-
SI PERFIDIA IN-
FLATA COMES INFOE-
LICIS DOLORIS, IN-
FAMIA ORBIS, RIDICVLI
MVRES EX ELEPHANTIS
SVBITO' FACTI SCYTHÆ, HÎC
COELO POEN. LVÊRE.

H. M. H. R. S.


8.
FIDES PERFIDIAM SVPERAT.
IVDITIVM POENITVDINEM.
VI-
CTO
QVIE-
TVRO.
FOELIX INFORTVN.

B. 3.

9.

ÆQVORIS OMNIPOTENTI.


Quid Nix in Solem, in Polos Hyperborij, Tanais Æquora moliebantur? An Circus Arcu maior? Fulmen Hastula? Tonitru Sagitta? Violis Laurus debilior? Iusta caussa maleficiis inferior? En quæ Ubertas Roris famem, irrequietem & nubes Cœlum sudum Jano bipotente excepit?


9.
NVNQVAM MARCESCENT.
QVID EST HOC.
PELAGO TELLVREVE
STABILIT.

10.

PRINCIPI IVVENT. ET AVREI SÆCVLI.

Et nos tela, Scythæ, gerimus, nec pectus iniquum.
Cernitis vt nostrum properè Mors vulnu sequatur?
Excitat, & demit vires in Milite caußa:
Dux cadit iniustus, serò tetigitque Penates.


10.
DVX CONFIX.
NE POSTH · NOCEAT
IANVS CLVS
IANVM SIT.
ΟΥΔΕΙΣ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΣ Α-
ΔΙΚΑ, ΣΩΣ ΗΛΘΕΝ ΠΑΛΙΝ.

11.

TEMERITAS GETHICA.

Insanit, Heros qui tentat; furit, Cœlum qui temnit. Lugeat nunc Alecto suo morbo, iaceat Gorgo Diris, & æquori vota. Cur ☉ potiorem ☽ serius duxit? Iouis alas ♀ passerculo? Leonem Dianæ pecude? Vbi sunt Tauropolia?. quid vrget iracunda DIANA?


II.
PROVID. DIVINA ET.
VIGILIA
MONTRA DO-
MANTVR.
V.V.
V.
V.V.
V.
FA-
MA.
AV-
GVS.

12.

IRÆ ET CAVSSÆ IVSTISS.

Vbi es pestis Eoa? vbi rabies Afra? vbi iam eris infandum nefas? Parum abfuit quin nos belua terreres, luctu & funere omnia compleres. Sed viuit Gadius Domitor, viuit Leo qui vorat. Tua iaces vi. Inceßore alieno quid fugitiue potis es?



12.
AMPLIVS HAVD
ATTIN GET.
DOMITORI AS. ET AFRICAE.
VIR
TVTE
ET
IVS
TIC.
PART.

13.

Neptuno *potenti,*
Hesspero *lucenti,*
Leoni *rugienti,*
Temeritati *barbaræ,*
Ignauiæ *euiratulæ,*
Seruituti *recutitæ,*
Libertati *integræ,*

P. S. F.

13.


SIDERI OCCASVS AD ORT.
TANTA MOLES
HAVD PLVRI-
BVS HOR. COR-
RVIT QVAM
SAECVL. CON-
STITERAT.

14.

VIRTVTI CHRISTIANÆ.

Quæ litoribus Græciæ liberatis, rebus ſuis diu obſcuris per IANVM denique, vt nocte Heſpero illuſtratis, mœrore in voluptatem commutato, ad Rubrum pænè Mare vias expediuit, ac ocio ſtrauit.


14.
PROVIDENT.
LABOR
FOR'
TVN'
AE
VIR'
TV'
TI
ADAE
QVA
TAE.
INDVSTRIA, FORTITVDO,
CONSIL. CELERITAS.

C

LIBERTATI Religione & armis recuperatæ; JANO, qui cædes, & vulnera ſuorum, bellum perſecuturus, melle, ocioque refecturus eſt,

SACRUM.


15.
LIBERTAS.
RELLIG IONE
ET AR MIS.
SALUTI PUBLICAE.
CVM GRAECIA ASIA
ET AFRICA SE VOVENT.

16

GENIO VICTORIS libidinum Barbararum; Iterum triumphanti IANO; Qui, vt Iuppiter Titanibus metu obiecto, ad Mæotin vsque latrociniis deletis, ac rebus CHRISTI stabilitis; perpetuum Barbaris frenum, exitiumque importauit,

M. P. D. P. G. E.


16.
PA-
NI-
CO
TER-
RO-
RI.
FOEDERA QVI
TEMERAT SV-
BITO HVIC
TREMOR OC-
CVPAT AR-
TVS.

DE EADEM VICTOR.

QVæ gens fremebat, dira minataque
Insaniit ferro furialiter;
Hanc Vindicis Summi potestas
Deijcit imperio superbo.


Nemo Malignus vincit, ouat diu;
Meta illius durat modicum, & perit.
Hoc nos satis casus Scytharum
Edocet, ac monitis tuetur.

Frustratur, is qui ducitur impia
Spe, Sanguinem fundens minaciter.
Cum classe Sceptrum perditurus
Sub pedibus latitat Tyrannus.

Ista sed, oro, ne nimium manu
Victoria insigni simul ocio
Elata mens feruescat, alti
Immemor, vt malè grata fiat:

Sed Barbito ludat Domino Poli,
Cuius geruntur nutibus omnia
Prosperrimè, sæuus labatque
Æquore & auspiciis Selymus.




E Pater Omnipotens, cuius victo-
ria tota est,
Ocia qui reparas;
Laudibus immensum canimus:
tibi clara Trophæa
Contribuuntur enim.
Tu solus contra Scythicas nos colligis iras,
Insidiasque teris.
Tu vires confers; rabies te Vindice Thurcæ
Nunc latet æquorea.
Ferrum, ignem, laqueos, iuga qui ceruicibus imis,
Innumerabilibus
Artibus, atque odio tendebat, concidit: illi
Nulla salutis opes.
NEREA, Nereïdes tanto molimine, velis,
Sollicitudinibus
Irritare ausus, bellumque minarier Orbi,
En religatus vbi est?
PONTIFICIS votũ, ac studiũ memorabile semper
Unanimes redigit
Cum VENETIS socios, longa vt requiete fruantur,
Compositique sient.
AVSTRIADVM Virtus iuuenili semine tantum
Cum Hadriacis potuit?
Quid poterit? quod non audebit iam auctior annis
Posteritatis opus?
Fulminat Intrepidus, subigit gentemque ferorem,
Cum Patre nomen habet.

Ira etiam iusta LEO quantum præstitit Ingens,
Cùm subitò inualuit?
Quid non pro CHRISTO tot nomina cara, Ducesq;
Suscipiant cupidi?
Per varios fluctus, per inhospita saxa sodales
Currere dum properant?
Hanc pacem nobis, DEVS, aßere, pectora firma
Consiliisque bonis.
Fac grates resonent, plures meditentur honores,
Qui spolia ampla ferunt.

τέλος.



EXHORTATIVNCVLA SAMBVCI, AD VICTORIAM EPIRATICO MARI PARTAM,

Idib. Xbris, M.D.LXXI.



EMO eſt omnium, quin ob tam incredibilem, ſubitamq́ue Victoriam exultet; qui non lætitiæ publicæ indicium priuatim aliquod efferat, nemo eſt, Chriſtiani Auditores; vt pelagus, ipſa litora, vrbes, ac tecta plauſum dare, publicæq; rei præclarè geſtæ Auctori gratias agere videantur. Quis, igitur, tam graui ſtomacho, & auerſus, vel potius inuidus fuerit, qui me quoque paucula de tot triumphis, imminutoque periculorum metu dicturum audire, & quemadmodum reliqua ſint obtinenda, depellenda contraria, breuiter moniturum nolit intelligere? Narrata toties, & ab aliis decantata, inquies; nil noui meditaris.

Vtinam nuncius adſit deletam prorſus eſſe, confixamq́ue rabiem Othomanicam; vtinam ſociæ claſſi, totq́ue pectoribus inuictis, quorum hæc omnis communitate vis conſiſtit, non vlterius eſſet laborandum, velisq́ue contractis perpetuo ocio, domeſticoque in portu degendum. Ingens, & inaudita, Chriſtiani, veſtra fortitudo ad Ὀχιὰς, Homero etiam Θοὰς, Corcyramq́ue nigram enituit, conſilium celeriter pugnandi, manus ad cædem expeditæ, conſtantia in pernicie, hoſtiumq́ue impetu frangendo inuiſa, præter omnem expectationem tot milibus Barbarorum conciſis, & captis, non paucioribus Chriſti cognomine, ferro, vinclisq́ue liberatis, victoria memorabilis, & quæ omnem Græcarum, & Aſiaticarum, ipſius denique florentis Imperij Romani famam ſuperat: Sed iſto ſucceſſu vobis acquieſcendum minimè eſt, maiora ad caput reſtant, ardua, plena ſolicitudinis: vt omnino aduigilandum ſit, ocium ſi complectamur, & reliquias contemnamus, ne aliquando facti nos pœniteat. Abſit mali quid ominer, &, ſi quid metuo, in caput Scytharum omne redundet. Verumtamen niſi ſpem diligentia moderemur, lætitia temperatè effundamur, niſi cauti ad quoſvis caſus nos deinceps quoque comparemus; vt quiete, & inſolentia tantum hoſtem voremus, difficilè mihi perſuaſero. Exempla ſunt in promptu, eaq́ue recentis memoriæ, quæ ſine offenſione, aut bile quorundam vix recitarim; vetera ipſi noſtis. Certè in Victoria

non

non eſt tantum momenti, quantum ſcire ea & vti, &, ſi opus ſit, maturè, ac dextrè perſequi; quod ipſum contra iſtam crudeliſſimam gentem omnino eſt faciundum: qui ſecus animati ſunt, vel cæteris ſpem oſtendunt, cum alijs in diſcrimen ſe vocant, fraudemque inducunt.

Quid itaque, dixeritis, te angit? Caput ego, caput, & iugulum, Victores, duntaxat in hoc tempore, cenſeo petendum. Aditus ad Byzantium, & Alexandriæ portus iſta clade ſunt patefacti. Bithyniæ, Myſiæ, Cariæ, Lydiæ. &c. Solymorum ipſa mœnia, & portæ, nos rem egregiè cœptam vti vrgeamus, inuitant; quod tot vulneribus, ſociorumque occaſu peperiſtis, pace vt firmius communiatis, vocem edunt; ne quid ſcilicet temerè in ipſo ocio, inepteque noceat, obteſtantur.

Ea eſt immanis huius Beluæ natura, ingenium, pectus ad omnes dolos factum, vt accepto in ſuis grauiore malo, cedere videatur, timere ſe ſimulet, præhenſet, gratiam aduletur, nihil noui moliatur, apertè neminem oppugnet; dumque ſe colligat, omnes induciarum & pacificationis verſet rationes: quibus vbi profecit, moramque ſuis reparandis impetrauit; tamquam fluctus, impete vaſto, ſic mox irruat, ſecurosque animi hauriat. teſtata narro. Haud ille, niſi nihil video, ceſſabit ſummos Principes Orbis, vel titulis antea non impertitis, ſolicitè orare, pacem vti ſeruent, fide agant depacta. Dabit operam, Polonos, & vicinos conuentis vt cohibeat, voluntate in ſe, fineſque ſuos promiſſa contineat, mille Artifex. Quibuſdam bona, & mellita verba, maiorum exempla, prolixa præmia; ſi ſtudium reconciliandi, aut hoſtem induciis fictis ducendi, ſeriò interpoſuerint, omnia ſe illis profuturum. Reperientur forſan, (ſed procul id ſit) qui communis Rei ſummo damno; res nouas in Belgio, velut camerinam, mouebunt; quò claſſem pulcherrimo & ſanctiſſimo inſtructam conſilio morentur, odium priuatum Saluti vniuerſæ præponant. Quare ne quicquam horum veſtris inſtitutis impedimento ſit, temporeq; cuncta adminiſtretis, foris inimicis iugulatis, domeſticos vti facilius comprimatis, etiam atque etiam prouidete. Præcidite, per Deum, huiuſce generis omnes vias Impp. & Milites fortiſſimi, in hybernis ad quaſvis occaſiones, & procellas vniti conſtetis, aut ad primum Ver confluatis. Peloponeſi ora lecta, non laceſsitis quibuſque ſcopulis, Seſti, & Abydi, Troadiſque clauſtra quamprimùm, & rectà perrumpite, ipſum Selymum tanta claſſe non percellatis modò, ſed propellatis. Quem, quod poteſtis, modò non langueatis, aut inſolentiùs tumeatis, omni Maris ſpe ſi exueritis, quid ille porrò in vos maleficij

cogi-

cogitarit? quid continente effecerit, si vos domi salui per internum pelagus ab eius impórtunitate sitis? Profectò, si triumphorum, spoliorumque illectamentis semotis, vos ad occupanda reliqua expedieritis, Comici illa nobis dederitis; Πλουθυγίειαν, εὐδαιμονιὰν, εὐρήνην, νεότητα, γέλωτα, χοροὺς, θαλίας, γαλατ᾽ ὀρνίθων. Non desunt vobis Regiones æquè potentes, non nerui, non fines præsidijs firmi, quibus progressus faciatis, equi & pedites ad extinguendam pestem qui concurrant innumeri. Pannoniæ, Germania, Italia, cunctaque Europa officium, & humanitatem non deserent; cuius armis, & auxilio Machometi colluuies expurgetur, nefaria nostri calamitas ad extrema redigetur. Pecuniæ & thesauri tum sacri, tum prophani, quibusvis legibus Imperij propositis, & vulgatis, suppetent ad rem perficiundam, modò alijs diuortijs, &, quæ intercurrere possent, obstaculis tempestiuè obsitis: hoc est, ad remos, & ventos statim redeatis. Tu inprimis, Inclyte IANE; qui ad hanc gloriam singulariter à DEO, & PONTIFICE euocaris, quamcelerrimè socios hortare; præito.

I bone, quò virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia. quid stas?

Videtis, auditis, quàm vbique nunc horreant immundi canes; vt ad suos cladem acceptam dissimulent; fingant nuncios, & allegationes; vt in Pannoniam quidvis indulgeant; blandiantur; eoque dementiæ venerint, vt lippis & tonsoribus sint ludibrio, quæ Maximiliano Cæsari non verentur nunciare. Quum ille semel pressus, & afflictus concedit, nullus est, perijt, vel auram, & foliorum strepitus pertimescit, dumque emergat, latitat. Hoc ipso nunc fulmine à vobis tactus, Recuperatores auspicati, profugit. Rhodus cum Cypro, Insulæ omnes Ægeæ, isto vulnere, à Tenedo advsque Propontidem, & Hospitale ipsum pelagus, sauciæ lugent, Afri mœrent, vltima quæque impendere sibi sentiunt. Nostræ vires adhuc consistunt; quod desideratis, facilè, & tutò subieceritis: non vllis antea prælijs, aut obsidionibus, vel fluctuum molestijs, classis est conuulsa, aut labefactata: momento triumphastis, momento ne quid de tanto nomine aliquando detrahatur, præstare potestis. Caussa vos excitet CHRISTI, caussa rupti fœderis, & periurij; iustis rationibus hactenus iuistis, si declinetis, turpiter offendetis. Haud ille vobis arma intulit, insanit fidei oblitus: vos iudicio DEI exciti, eius scelera castigate, vim compescite.

Dum, itaque, Ductores, & Confœderati, classem hostis nouam integret, laceram, & confractam sarciat, tabulasq; naufragij coniungat:

eius

eius dolos & nugas intercludite; nisi si periclitari velitis, hoc ipso Victoriæ impetu persequamini. Dux & Auctor DEVS est, nihil de animo, & dextris feliciter in opere exercitis, sanguineq; hostium tinctis, remittite: Annos, & Menses magis propitios ne exoptetis, quòd cuncta sint in manu vestra, si iam nihil negligatis, adeoq; classe nudatum Tyrannum, & custodia, falsumque spiritu inflato Canem ad interitum rabiemque subigetis. *Gratia Diis felix, & inexcusabile tempus.*

Si amore salutis coiistis, si sedes Beatorum, vnde vitam ducitis, appetitis; si vos tangit recordatio, quos amisistis, sociorum carissimorum; si CHRISTI vos denique auctoritas, Ecclesiæ necessitas flectunt; corripite medium, delete infandum scelus, audaciam, furorem, libidinem cohibete, ac ne posthac Lernęæ feræ exemplo, vnquam ille se moueat; ne ex superstite veneno alij vobiscum culpam molestiamque trahant, perficite. Sunt, fateor, in ipso sinu Hadriatico loca Thurcarum firmissima; Dalmatiæ, Epiriq; veteris contiguæ oræ non sanæ; haud aspernandæ retrò Afrorum vires; pyratarum insidiæ multis infestæ circumuolitant: Sed illa vno, eodemq; ictu confeceritis, si in caput, & sedem monstri incubueritis, impedimentaq; transuersa suppresseritis: quippe quod ex disciplina Militari sit, hostem procul ferire, vim, & iniurias à parietibus longius arcere, quod vno impetu potes, distractis conatibus minimè relinquere, in nullum discrimen intestinum quidquam omittere: si quidem fauillæ spiritu aliquo aut motu excitatæ, ad flammas, & incendia sæpè excesserint. Si quid molestiarum occurrerit, cogitate nemini sine sudore coronam obtigisse; & qui præsunt tanto negocio, ijs cum honoribus labores oblatos, vt dicere cum quodam Rege possint, non tam nobile & felix diadema esse Victoriæ, quàm solicitudinibus refertum; & si quis penitius id cognouerit, ne humi quidem iacēs tollendum: etsi vestra ratio longè alia sit, cœlestiumq; subsidio, & præmijs nitatur. Si enim, quod Agathocli vsu venit cũ Carthaginensibus, metus metu, vis vi discutienda esset, Thurca in vos rueret, vobis classis contrà in Ortum, & Asiam tamen esset dirigenda: atqui ille nihil potest, latebras quærit, si quid habet, tamquam Hasdrubali, cum duobus Coss. ei certandum vobiscum erit. Cæterùm, audio esse voces; Neritum anticipandam, Castellum nouum si expugnetis, non parùm ad Veris conatus vos pręstituros. Sed potiora ad ocium sunt proposita, vt dixi. Si singulis locis circumdandis vos occupabitis, ac separabitis, videte, quàm rebus gerendis prosperè consulueritis. Scitis Prouerbium: Dimidium cœpti, qui benè cœperit, habere, non totum: quasi enim

præmium

præmium Victoriæ,antè quàm viciſtis,expetiueritis,perinde remiſſione liberiore videmini abuſuri. Ortus obitui Solis eſt ſpectandus,vnde ſalus dependet: in quem laudis ſpes intueri veſtra debet,ortus eſt,Socij inuicti: qui patet,ſeſe totum vobis offert. Meſſinæ receptus tutiſsimus eſt,& quò traijcere,& aduolare Iberi,Hydrunto,vel Tarento alij facilè Corcyram appellere,commeareque poſſunt. Inde Ionij tractus nil negabunt, nil Strophades inijcient, aliæ Inſulæ, Promontoria,Sinus vobiſcum ſentiunt,& facient,hoſpitioq; gaudebunt. Extinctæ ſunt Naupacti,Corynthique ſinus inſidiæ,veſtra fortitudine Hexamelij inædificatio prohibetur, Peloponneſi appendices cum Cycladibus,& Sparadibus, cum præſertim Cythera,& Hepla vos, tamquã κλεῖδεα audiant, Creteo mari velut crepidinibus, & patrocinio confident, ad Cyprum, Rhodumque curſus promouebunt,vt recuperata mox Aſiæ parte,turbatis alijs, breui Solymis ſitis trophæa defixuri: tantum eſt nunc in celeritate, occaſioneque rei gerendæ conſtitutum, Chriſtiani Milites. Quæ ipſa ad quodvis momentum calua, & punctum arripienda eſt; nec abeſt,aut redit cùm volumus, quomodo de Epimenidis Cretenſis animæ natura, & priuilegio veteres prodidêre. Byzantium nullis præſidijs audio ſeptum, Selymi metus, & iam Theſaurorum aſportatio, concuſſis omnium pectoribus, trepidatio cuncta vobis leuiora reddit. Nihil iſtic præter imperitam fecem, imbellesque vernas trucidabitis. Quòd ſi quid ex Thracia, Macedonia, Illyrioque imminebit aduerſi, habetis, quos ſolo copioſè opponatis, peditum, & expeditorum Equitum milia plurima: neceſſariorum autem ratio ea eſt ſubducta,vt biennio quamvis aduerſaria, & minas ſuſtinueritis, ſociorum is ſenſus, vt omnia in cauſſa CHRISTI cupiant: & ceſſare velitis? & inſeruire vanis pompis, & adulationibus fictis plus, quàm contentæ Victoriæ? Ad ſummam, ſi quidque loco,& tempore,accurateq; vrſeritis,viciſtis; ſin ſecuritatem ante tempus,ante ignem fumum fingatis, non viciſtis. Si pigritia vos, aut inanis celebritatum, ſpectaculorumq; amor etiam nimium tenebit,periiſtis, ac fama loquetur de vobis,quod de Mileſijs: Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι. Pergite potius, nihil obducite domeſticũ,quod vos retrahat. Maius nomẽ de hoſte externo & magno inuenietis: peſſimus enim quiſque aſperius Victorem patitur: quando quibus illius animus diſtinetur ac timet,veſter erigitur, quibus ille excruciatur: vos iuſta cauſſa, probitate Religionis viuitis, quodque vobis præſidio eſt, qui tot triremes eripuiſtis, pluréſve ſuppreſſiſtis, illi numquam à curis animum, & dedecore ſubleuabit. Hyemem ſubeſſe clamabunt

aliqui : at, quàm diu in Mari, & quas difficultates, hoc eſt, nullas perpeſsi ſint, non clamant. Haud illi primi ſub pellibus iniurias hybernas longè maiores ob cauſſas tolerabunt: quin potius dum recens, & funeſta clades Tyranno obuerſatur, terretque, quantum per cœli benignitatem, & amplius, durate, premite hoſtem, reque ipſa metum illi, non opinione de futuris collecta, augete. Aut enim diuturniore interuallo, quæ nunc ſubitò ſuperaretis, loca munienda hoſti permittetis, aut vtcumque nauiculis, & pyratis ille euocatis, litoribusq; per continentem commeatu, & militibus roboratis, nos infeſtabit, aque ſua Regia iſto ſtratagemate auertet. Qui aliâs interdum à ſtipendio deſciſcunt, inq; hoſtis fidem, aliqua ira milites ducti, defecêre, veniam ſunt adepti; qui pro religione, patria, capite, pro liberis nomina militiæ laceſſiti dedêre, ſi quidquam conniueant, aut minus prouideant, ceſſentq;, imprudentes dicimus, ſi temerè à conſilio dimoueantur, incautos vocamus, Deorumque, & Penatum oblitos, ſi hoſtem è manibus laxent, occaſionem perdant, auctores perniciei. Quamobrem, CHRISTI Nauarchæ, coniunctis votis ac viribus, mora ſepoſita, cædem igni & ferro continuate, quæ nocere poſſunt tollite; feſtorum ludis, tributioni ſpoliorum, & τῇ ἰσονομίᾳ, ſeu æquilibritati cuidam, ſi quæ extiterit, modum ponito; ſtatim ad tranſtra & remos conſidite. In quam ſi mentem, vti omnino ſpero, citra longiorem deliberationem, abieritis, iamiam, cum Thracia ſinum ſuperum omni latrocinio & horrore exemeritis, Hordeæ iuga inſeſſa, Epiri anguſtias, Macedoniam ſepoſitam, vnà cum Pæonibus niuoſis poſſidebitis, atque Aſiæ præcipuis obicibus reuulſis, Africę malitiam, ad Nili vſque oſtia, & ortum obſcurum, aduerſa delebitis. Ac præpotens DEVS, è cuius ſolio cuncta fœlicia manant, ad quem iſta pertinent, labores veſtros vberrimis euentis cumulabit, perpetuaque laude quietis conſilia ornabit; tum per omnes, vbivis, foribus & templis, vt Phidias, in Clypeo Mineruæ effigies, ſpolia inſerere veſtra licebit, tum ad voluntatem cuncta fluent. Hæc volui dicere, ſi quid tamen priuati homuncionis & imperiti apud tantos Principes, Militesque exercitos verba vmquàm valuêre : cui iudicium meum probatur, manum tollat; qui meliora nouit, proferat, & quod probius eſt, deligatur.

DIXI.

DE CLASSICA AD NAVPACTVM CONTRA TVRCAS VICTORIA, PER D. Ianum Austriæ, Class. & oræ Marit. Præfect. Inuictiss. D. Caroli .V. Cæs. F. parta,

CARMEN HEROICVM PER H. FAVOLIVM.

BARBARA gens quondam, crudelis & aspera bello,
Caucaseis exorta iugis, Scythicisque pruinis,
Qua gelidis Tanaim Boreas, & Bosphoron auris
Cimmerium, & niuibus Mæotidas asperat vndas,
Turmatim pretio, conducti militis instar,
Sub Muchumetio Saraceno Principe fertur
Annua principio meruisse stipendia, & omnem
Assiduis miserè vitam exegisse sub armis.
Inde alijs, alijsque nouis sub Regibus ære
Exiguo, at belli vario discrimine Martem
Perpetuò parti victrici exercuit hærens,
Gens tantùm prædæ, diræque assueta rapinæ.
Quæ pòst in plures diuisa sine ordine turmas
Viuebat rapto passim, peregrina domique
Fræna pati indocilis, domino aut parere potenti
Nescia, vel certis fixisque Penatibus vsquam
Deligere extructas generi certo ordine sedes,
Sed tantùm incultis magalia figere syluis
Contenta, atque larem externos vectare per agros.
Quos etiam tandem propriis de finibus actos
Dira fames, necnon victus penuria adegit
Paulatim ignotas gentes, orbisque remotas
Scrutari terras, atque extra quærere regna.
Ergo procul patria à tergo tellure relicta
Impia colluuies Arctoæ gentis, amœna
Arua Palæstinæ, Solymasque inuaserat arces;
Fœdere dum rupto, atque orto per castra tumultu,
Ductorem ipsa suum, & Dominum nil tale verentem,
Inter funestæ non prospera prælia pugnæ
Inuadit, miserumque inopina morte trucidat.
Excursusque breues vicina per oppida passim
Sarmatiæ intentans, Syriæque Asiæque minoris,
Omnia vertebat in prædam, & nomine belli
Velantes diras magna feritate rapinas

Circum exercebant, nil iure aut lege gerentes.
Hinc munita loco, & naturæ munere, & arte
Inuasere arces, inuasere oppida tandem
Plurima, inacceßis circundata mœnibus, hincque
Exactis circum vastabant cuncta colonis,
Inque propinqua truci prædones cæde ruentes
Regna, fatigabant depulsis ciuibus vrbes,
Vastabantque suis cæsis cultoribus agros.
Donec Godfrædus cum fratre Bilonius Heros,
Pontificis iussu, & communi voce potentum
Romani Imperij Procerum, non segnis auitæ
Deligitur fidei protector, & vnicus idem
Vindex oppressæ tum relligiomis, & omnis
Patratæ in socios aliosque tyrannidis vltor.
Totius Europæ qui sumptis viribus hosti
Obuius ire parans, quas antè inuaserat vrbes
Prædatrix ea turba, iterum præstantibus armis
In veterem asseruit, libertatemque receptat.
Perque Asiæ populos, perque agmina Turcica (quorum
Dux Solymannus erat, qui Martis concitus œstro
Aßiduo belli flagrabat amore) cruentas
Committens strages, & plurima funera, campos,
Ipse rubræ vexilla Crucis, paßimque trophæa
Signa triumphatæ erexit victricia gentis;
Dum Mahometicolus Solymannus, quem penes omnis
Incœpti Regni stabat spes vnica genti,
Inter anhelantes peditumque equitumque cateruas
Corruit, & vitam cum sanguine spargit in auras.
Tempore at ex illo prorsum est labefacta potestas,
Extinctum decus est, & prorsum concidit omnis
Gloria Turcarum, ac ceßit vis effera gentis,
Prospera quæ nimium primordia sumpserat antè.
Et quod ego haud dubitem asserere, audenterq; profari,
Si repetita manu forti, si parta tueri
Quæ noua succeßit soboles curasset eadem
Virtute, atque pari studio, exemploque parentum,
Pòst nunquam Turcas ferro, sceptroque superbos
Byzantina Trapezuntinaque regna minantes
Vidissent populis, aut dantes iura subactis.
Namq; graui exstincto Solymãno hac clade, superba

Qui

Qui sese veterum Teucrorum ab origine natum,
Priamidumque satum Regali à stirpe ferebat.
Non sortita Ducem est vllum gens Turcica dudum,
Bellica quem claris extollat gloria factis.
Nec quisquam illius natus de sanguine prorsus
Cognato, partas in opes successerat hæres,
Qui foret aut Regni præsens tutela ruentis,
Aut qui palanti populo auxiliaribus armis
Suppetias ferret, dextra aut tutrice receptum
Assereret, validumque auerteret vrbibus hostem.
Incrementa sed his discordia, Regna, simulque
Christicolum intestina Ducum certamina, nostris
Hostibus, & vires animosque dedêre rapinis.
Nam pòst dira lues, Geticæ fœdissima gentis
Colluuies, seruile genus, ditissima quondam
Non modò Regna Asiæ, Scythiæque inuasit opima,
Quin etiam Armenias pòst est grassata per ambas,
Cappadocumq; oras, Cylicum campestria, & ipsos
Inde Palæstinos, Syriosque, Arabasque beatos,
Phœnissas gentes, Apamænaque rura subegit,
Mæoniæq; inuasit agros, Lydiæq; propinqua
Arua Lycaoniæ, & Phrygiæ notissima quondam
Littora, nunc varijs tantùm obruta terra ruinis.
Insula in Ægæo nulla vsquam est æquore Turcæ
Quæ non passa iugum fuerit, non Cynthia Delos,
Non Creta ipsa neget centum clara vrbibus olim,
Quæ toties sæuos gentis perpessa furores,
Auspicijs Venetûm medio iacet insula ponto.
Horret adhuc meminisse animus, tristisque recusat
Ipse referre Rhodi quînam subuerterit arces,
Marte diu nostri dum conflictantur iniquo.
Quid? quod & hic tandem violentis cœperit armis
Attentare sacras Europæ, & Aheidas vrbes,
Vnde illum Breuibus, & Syrtibus asper vterque
Bosphorus arcebat, latæque Propontidis vnda.
Ast nunc Euxinum numerosa victor & Helles
Classe secat pontum, & prorepsit in Hellados oras.
Seruitioque premit Locros, bimaremque Corinthum,
Argosque & Sparten, Agamemnoniasque Mycænas,
Oppida Spartano quondam regnata Lycurgo.

Nec satis, Æmathiæ celebres penetrauit ad vrbes,
Collectáque manu domuit gens impia quicquid
Ægæi Siculíque maris concluditur vndis.
Quin etiam ipse sibi delegit Barbarus vrbem
Constantine tuam, translatis vndique gazis,
Imperij sedem, & caput inuiolabile Regni.
Ast nunc Hesperiam ingenti formidine demens
Terruit, atque illum metuit Germania, latumq;
Illyricum, Regioq; omnis vicina tremebat;
Arua pharetratus Cypri dum victor opimæ
(Post varias hominum clades, vltróque citróque
Acceptasq; datasq;, & funera multa virorum)
Omnibus exhaurit rebus, & ciuibus orbat.
Hinc nunc ancipiti mentem formidine pressi
Vicini Proceres, consternatíque timore,
Quotquot aut Italiæ fœlicia Regna potentis,
Et Siculas coluère oras, & claustra Pelori,
Et maris Adriaci tota cum plebe Senatus,
Percupidi tantam Regnis depellere cladem,
Articulo in summo belli, instantisq; pericli,
Christicolum socias vires, omnésque propinquas
Auxilio implorant gentes, Regésque, Ducésque,
Ignotos, notósque, fidemq; & sacra professos,
Vnanimes secum rogitant circumvndique vt instent
Communem Italicis propellere finibus hostem.
Namq; prius Venetus pariterq; & Turca prophanus
(Dum Solymannus atrox Regni moderamina gessit)
Alter in alterius quàm par erat arctius, & quàm
(Quos inter fidei dissentio tanta) decebat,
Verba & amicitiam coniurauère latenter.
Sed postquam è viuis Solymannus cesserat, atque
Filius Imperio Selymus delectus auito,
Vnicus extincto successit iure parenti:
Ipse ferus rabie, Regníque cupidine pallens,
Fœdera cum Venetis temerat socialia demens,
Et mare quod lato Citheræam gurgite Cyprum
Alluit, impleuit ratibus, contermina vastat
Littora, & ingentes implet terroribus vrbes,
Omnia certatim ferro populatus & igne.
Iam procul Argolicos fines traiecerat amens,

Cis

Cis maris Ægæi, vastæque Propontidis vndas,
Qua latè Adriacum, qua se generosa Corinthus
Explicat, & medio lucet Cephalæna profundo.
Interea Proceres tota ditione coacti
Italiæ, magnæ ad sacrata Palatia Romæ
Conueniunt, iungunt sub amico fœdere dextras
Otius, in commune quidem pro nomine CHRISTI,
Horridaque vnanimes mox arma capescere suadent,
Atque laboranti nunc nunc succurrere Regno.
Nobilis Austriaco IANVS de sanguine cretus,
Nec minus insigni morum probitate, fideque,
Quàm reliquis animi, ac mentis virtutibus auctus,
Articulo in summo belli, instantisque pericli,
Pontificis iussu, Venetorum, & Regis Iberi,
Agminis incœpti Ductor, claßisque paratæ
Deligitur, reliquos qui tum feruente iuuenta
Ante alios belli laudum flagrabat amore.
Hunc tu Barbaricæ clarißima stirpis origo,
Atque insigne tui decus, Augustine, Senatus,
Insequeris propius, fidus velut alter Achates,
In dubios belli socium te adiungere casus,
Atque sub extremum pulchro te offerre labori.
Nec minus armipotens multis cum milibus ipse
Dorius, & Venirus, & clarus stirpe Quirinus,
Compluresq; alij, quorum nec nomina certum est,
Nec numerum nostro versu comprendere promptum,
Subsidio veniunt, studioque flagrante sequuntur.
Ergo iter accelerant Siculæ ad fera littora terræ,
Cœrula qua variis quatitur tota insula ab vndis,
Montis in anfractu magnæ qua mœnia stabant
Vrbis Messanæ scopulorum mole reuulsa;
Qua Pharus accensa ad turritam lampade rupem
Nocte procul nautis optatos exerit ignes.
Iamque acie instructa, & magnis legionibus, atque
Totius Italiæ collectis viribus, hosti
Obuius ire parat, superatque per ardua longè
Hydronti colles, Salentinosque recessus,
Austrius, & claro contermina rura Tarento.
Et cum circuitu vicina Ceraunia legunt,
Mox dextram versus turgentia vela feruntur

 In por-

In portus Corcyra tuos, quos ignibus hostis
Vsserat, hostili populatus cuncta furore.
Hîc bis mille suis iuuenes adiunxit Hiberos,
Et totidem Oenotrios, Dux Austrius acer in armis.
Qui pariter iunctis opibusque, & viribus omnes
Ex æquo vnanimes hîc conuenêre, parati
Extremum longè propellere viribus hostem,
Vel saltem veteri pro libertate, focisque,
Pro patria atque aris manifestæ occumbere morti.
Otius ergo vagas ponti vt traiecerat vndas
Austrius octonis stadijs, en protinus omnes
Iussit adesse rates, inflari & classica, moxque
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hîc nihil instantem poterat turbare tumultum,
Vimque, animumque Ducum, qui Relligionis amore
Haud dubiam in mortem sese obiectare parati,
Indomitum toto spirabant pectore Martem.
Dum tamen aduentare rates, inimicaque castra
Conspicit, atque hostes Ductor Mauortius, omnes
Præcipitare moras, pontoque insistere aperto,
(Dispositis, vt fortè locus, tempusque ferebat,
Ordinibus) statuit, tentatque pericula belli.
Et iam tempus erat, cùm ad littora rauca Lepanti
Hinc atque hinc rates armatæ concurrere certæ
Exiguis inter sese, paribusque diremptæ
Distabant spaciis, & Dux progressus vterque.
Hinc Mahometæus Dux Bassus in agmine clarùm
Voce suos, verbisque fremens immane cohortes
Admonet, assuescant constanti pectore crudum
Excipere, atque alacres pulsa formidine in hostem
Collatis subitò ratibus contendere pergant.
Parte alia Austriacus lectos ad bella triremes
Componens Ductor, dextrum hos defendere cornu
Mandat, & hos aciem statim fulcire sinistram.
In medio ipse quidem partitis ordine signis
Singula componit vigilans, oculisque vagatus
Vndique, iam mentes acuit, bellique furorem
Suggerit, & stimulos crebris hortatibus addit.
Donec cuncta satis circùm explorata, suisque
Præsidiis munita videt, tum protinus acri

Signi-

Signiferis instare suis hortamine, & omnes
Irruere, aduersum seseq; immittere in hostem
Imperat vnanimes. Moxq; hic violenter vtrinque
Inter se totæ concurrunt impete turmæ
Oppositæ, pariliq; ineunt discrimine pugnam,
Alternisque cadunt per mutua vulnera fortes,
Et noua sanguineo miscentur funera ponto,
Seminecesque ruunt multi, & clamore lacessunt
Astra, Deosque, graui complentur & omnia questu,
Hinc luctu, gemituq;, & terribili vlulatu
Cæsorum, & tristi partim sub Marte ruentum.
Vndique & armorum conflictu personat æther,
Militibusque suis monitu Dux instat vterque
Sollicitus, totoque furit vis Martia ponto.
At tandem Venetus, Dux Austrius, Duxq; Columna
Vnanimes, iamq; vna phalanx prorumpit in agmen
Turcarum, ingentemque ruens conamine toto,
Machina dum multas mergit Mauortia puppes,
Dat stragem. Hinc grauiter labefactus viribus hostis,
Turbatusque loco, iam tandem cedere læuo
Cœperat in cornu, & sese subducere pugnæ.
Hic magis atque suos magis instans vrget in hostes,
Ingentemque ædens inimica per agmina cladem,
Inuadit, totisque ferox legionibus instat.
Sexaginta ducit latebroso è colle triremes,
Aggreditur alios, rursum ruit æquore ab omni
Ante expectatum, & latè circum vndique magno
Correpto campi spacio trifidæ agmine turmæ
(Ne qua vlli spes vlla fugæ superesset) oberrans,
Paulatim arctabat gyrum, dum cominus omnem
Hinc atque hinc, geminæ veluti inter cornua Lunæ,
Arctè aciem denso circumvallauerat orbe:
Nec mora Turcarum mox pellit in agmina turmas
Austrius ipse suas, & clausum sæuit in hostem.
Qualiter exertis armorum dentibus aprum
Turba soluta canum certatim atque impete facto
Morsibus approperant inuadere, & ingruere hosti
Vndique, sed facti propiores figere morsus
Cunctantur, donec reliquis audentior vnus
Terga feræ superinsiliens, raptim occupat armos.
Ille loco, & notis latebris non cedere certus,

Fulmi-

Fulmineo dextra minitans, rursumq́; sinistra
Dente canem feriens, nunc hunc, nunc protinus illum
Perfurit, & sannis latè diuellicat artus,
Obuia quæq́; rotans, per viscera vulnere adacto
Ilia discerpit, spargitq́; per aëra fibras.
Haud secus indomiti sese ad certamina Martis
Componunt Turcæ, densáque indagine septi,
Fortiter obuersis erumpunt frontibus hosti,
Atque graui hostiles vexabant cæde cateruas,
Instabant, sæuamque adeò noua funera stratis
Vsque cadaueribus cumulant, adeóque cruentam
Ediderant paßim stragem, circum vndique vt ipsum
Cœperunt alta voce exclamare triumphum.
Sed simul ac rursum, nitidis violentus in armis,
Nubibus expreßi, & vibrati fulminis instar,
Austrius emicuit, caput & Bassæ extulit hasta,
Quod prius abstulerat Mauortius ense corusco,
Tum properant, cumulantque ingentes cædis aceruos.
Exsatiant sub Marte manus, irasque cruentas
Cædibus, & rumpunt per tela iniecta, per enses,
Pugnandi rabie, & furiis grauioribus instant,
Donec eis, fusis, & acerbo Marte peremptis
Hostibus, annuerit certam Victoria palmam.
Maurus at Argiræ Pyrata timore metuq́;
Anxius, atque immane fremens, succurrere rebus
Cùm non posse videt, premerentque aduersa periclis,
Territus in latebras, desertáque in auia longè
Quadraginta citis subduxit sese phaselis.
Cùm mox dispositis Naupacti ad mœnia castris,
Consedêre Duces, referentes signa cruentis
Turcarum spolijs, magna virtute potitis.
Iamq́; recensentes resides certaminis, omnes
Vicinas domitant vrbes, frænantque rebelles.
Oppressamque graui miseráque Tyrannide gentem
Christicolam externa tandem formidine soluunt,
Linquentes clarum prostrato ex hoste triumphum.

APOSTROPHE AD IANVM.

Ergo tibi meritò hæc statuit monimenta triumphi,
(Magne Ducum seros semper victure per annos)
Posteritas. Hos IANE *tuo solenniter arcus*
Ipse triumphali vouet Sambucus honori,
Nequa laborantem inuoluant obliuia famam.

AD IANVM AVSTRIVM, DE VICTORIA PARTA Carmen Ro. Anth.

Te Pater aspiciens ex alto Cæsar Olympo,
Æquoreum celeri dum trabe curris iter:
Perge puer, dixit, nec te iam Barbara classis
Terreat, aduerso quæ mouet arma DEO.
Ecce tuam circum volitat Victoria puppim,
Atque suas ponunt Eurus & vnda minas.
Macte animo, vt dederam terris ego iura subactis,
Sic tibi deuictis seruiet æquor aquis.

IN EVNDEM, VENET. ANT.

Si dum pubescis virtus te bellica cœlo
Inserit, & superis reddit honore parem;
Quid tibi Fata dabunt fuerit cùm firmior ætas,
Cumq; anni crescent inclyta facta tui?
Non mare, non tellus capient tua nomina, dicet
Non etiam cœlum Iupiter esse satis.



Arcus hij Triumphales cum asscriptis, non habent quidquam Religioni contrarium, aut fidei publ. offensiuum, possuntq; imprimi quemadmodum reliquæ antiquitates & gentilitia.
Sebastianus Baer Delphius insig. Cathed. Ecclesiæ S. Mariæ Hantuerpiens. Plebanus & Canonicus.


THE SOCIETY OF WRITERS TO THE SIGNET